



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt VII. Seueram Famis, sed justißimam & meritißimam esse pœnam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

## CAPVT VII.

*Seueram Famis, sed iustissimam & meritiſsimam  
eſſe pœnam.*

I.

**S**T & alia famis caussa. Etenim, quemadmodum nos homines, si quem punire volumus, ferculo, aut cœna priuamus, aut inedia longiore; sic & DEVS cœlum claudit, ne agros irriget, & fame vexari, vel enecari sinit, quos vita indignos iudicat. Exemplum illustre recenſet Procopius de Basilisco Orientalium Imperatore. Anno Domini 477. bellum illi indixit Zeno, iamque infesto eum exercitu petebat; nec prœlium declinauit Basiliscus. Sed suo loco Armatum (sic enim Duci erat nomen) misit, qui militi prœſſet. Vbi amborum copiæ in mutuo conspectu fuere, cùm iam tuba expectaretur, starentque vtrimque acies ferro & flammis paratæ, ibi, inopinantibus omnibus, repente Armatuſ Zenoniſ se se Ducibus, cum toto tradidit exercitu, & duo diuerſa agmina in vnum repente coaluerunt. Mox ea fama Constantinopolim eſt perlata. Basiliscus accepto tantæ & cladis, & prodicionis nuntio, in templum confugit. Sed serò ibi opem quæſiuit, vbi maximè reus extitit. Nam quia ab orthodoxa fide deficiens in Euthychianam sectam inclinauerat, omnemque vitam pessimis moribus inquinauerat, non solùm omnibus exoſus fuit, sed etiam captus, ab Acacio Præsule Constantinopolitano, Zenoni & ipse traditus eſt. Zeno igitur Basiliscum Imperatorem simul cum vxore ac liberis captiuum in Cappadociam relegauit. Anni hiems tunc erat, & rigebat gelu cœlum. Delicatis autem & frigori inassuetis corporibus intolerabile erat perdurare. Basilisco tamen ac vxori, & ipsis etiam liberis, ex Zenoniſ mandato, neque vestes, neque cibi concedebantur. Itaque neque foris vestimento, neque intus alimento caleſiebant. Quamobrem frigore, inedia, & rabie, vnà se complexi corporibus, collacrymantes miserè perierunt. Hic finis fuit Imperatoris, ea mors Imperatricis. Nemo dubiter, causſam habuisse tam diræ mortis eum, sine cuius nutu nec passer de tecto, nec de capite nostro capillus cadit. Certè nec Armatuſ cum toto exercitu eius, sine graui causſa ab illo defecit; & ciues

Constan-

Procop. de  
bello VVan-  
dalar. lib. 1.  
& Baron.  
tom 6. Anno  
477.

Luc. 21. 18.

Constantinopolitani interitum eius misericordissimæ Dei iustitiæ ascripserunt. Nam Basiliscus, non solum in fide fuit inconstans, sed etiam octo menses super annum, tyrannidem exercuit, atque ob insatiabilem auaritiã, omnibus & aulicis, & militibus exosus fuit; & ut Suidas de eo loquitur. pecuniam ab Ecclesiarum Episcopis exigebat, & Acacium Constantinopolis Episcopum prope modum pepulisset, nisi à multitudine eorum, qui Monachi dicebantur, repulsus fuisset, magnaq; pecunia congerenda cupiditate flagrabat, & insigni auaritia præditus erat; ut ne illis quidem parceret, qui viles & sordidas artes exercebant. Quamobrem, propter huiusmodi tributorum exactiões, omnia lachrymarum erant plena. Quod si qui imitatores Basilisci, in hac vita abundantes, fame non pereunt, in altera certè, cum diuite epulone siti æterna, fameq; cruciabantur, & stridore dentium Erisichoniam rabiem testabuntur. Neque vxor Basilisci innocens fuit, ut enim taceam, eam cum Harmato matrimonij iura violasse, quod Suidas in Harmato scribit; certè & ipsa tyrannicè satis in Theodoricum egit, nec credibile est, illi mariti tyrannidem displicuisse. Quare neque mirum etiam est, vtriusque parentis scelus in filijs quoque plexum esse, qui ut impietatis fuerunt, ita & calamitatis hæredes esse meruerunt.

Suidas V.  
Basilisc.

Meritò Basiliscum diuina vindicta in hac vita fame extinxit, sed fame dumtaxat paucos puniente. Multò grauior est manus DEI, si homines complures tangit, famemq; aut obsessæ ciuitati, aut totis populis infligit, atque in vniuersam aliquam prouinciam sinit dominari. Cùm Benedad rex Syriæ Samariam obsideret, *Facta est fames magna in Samaria: & tam diu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cæbi stercoreis columbarum quinq; argenteis. Cùmq; rex Israël transiret per murum, mulier quedam exclamauit ad eum dicens: Salua me, domine mi rex. Qui ait: Non te saluat Dominus: unde te possum saluare? de area, vel de torculari? Dixitq; ad eam rex: Quid tibi vis? Quæ respondit: Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixiq; ei, die altera: da filium tuum, ut comedamus eum, quæ abscondit filium suum.* *Quod cùm audisset rex scidit vestimenta*

II.

4. Reg. 6. 24.

60 Cap. VII. Severam quidem, sed iustissimam esse Famis poenam, menta sua. Tanta vis est in fame, ut amorem maternum superet, nec carnibus tantum vescatur hominis, sed etiam in ventrem mittat, quæ de ventre prodierunt.

III. Simile quid commemorat Iosephus alijque scriptores. An. Ioseph. lib. 7. Domini 72. obsidebat Titus Imperator urbem Hierosolymam, de bell. Iud. vallisque arctissime muniebat. Sic septi inclusi que Iudæi, adeo cap 6. & 8. fame laborare cœperunt, ut innumera hominum multitudo inedia quotidie necaretur. Quia ergo populum tanta fames inuaserat, ut neque herba, quibus vesci possent, superessent; è stabulis simum quærebant in cibum, collectoque domatim stercore vescabantur. Fame hac magis inualecente, neque humanis carnibus abstinuere. Iam enim calceamentis, cingulisque ac insuper corijs, quibus scuta tegebantur, detractis, insumptisque, & veteris fœni laceramentis magno pretio venditis, quæ his careret, eo immanitatis redacta est, fame improba compellente, nobilis ac prædiues mulier, Maria nomine, filia Eleazari, à seditiosis iam exuta omnibus vitæ præsidij fortunisque, lactentem filium occidit, quem comestura mox coxit. Cuius nidoris odore illecti milites, qui sibi victum, quacumque possent, raptu quærebant, cum eius peruasissent domum, partem assati filij, quæ supererat epulanda, intuiti, detestati facinus impransum abiere. Moxque repleta est eius sceleris famâ tota ciuitas, & vnusquisque ante oculos sibi cladem illam proponens, tamquàm hoc facinus ipse admisisset, horrescebat. Paria de fame Sagunthina, deque fame Mælia possunt narrari, itemque de fame Perusina; & nostri temporis tragœdij, si non præstaret tacere tam tristia, quàm dolorem memorando renouare.

IV. Fortasse aut illi, quos sub rege Israël fames presserat, aut isti quos Titus obsidione cinxerat, aut nostra sæcula tantam famem non meruerunt? Potuisset Deus vel innocentes exercere, ut grandi illo miraculo (quod ab Elisæo prædictum illis verbis: 4 Reg 7. 1. *In tempore hoc cras modius simila vno statere erit, & duo modij hordei, statere vno, in porta Samaria*) discerent diuinam prouidentiam, potentiamque agnoscere. Sed quis innocentes putaret illos, quorum rex famem populi adeo impatienter tulit, ut in illa eorumperet: *Hac mihi faciat Deus, & hac addat, si steterit caput Elisæi filij*

*Cap. VII. Seueram quidem, sed iustissimam esse Famis poenam. 61*  
*ſei filij Saphat ſuper ipſum hodie: item que regis nuntius: Ecce tan-*  
*tum malum à Domino eſt: quid amplius expectabo à Domino? quæ*  
*utique regis nomine ac mandato dixit, Nempe, ſedato prompto-*  
*que animo acceptare debuiffet, quod à Domino eſſe crediderat,*  
*Nam crediderat; ſed cum impatientia, & furore, vt qui ſibi ſuiſq;*  
*à Domino injuriam fieri iudicabat. Hinc injuriam vindicaturus,*  
*qui DEVM non potuit occidere, Prophetam DEI voluit capite*  
*truncare, vt ſe ſe in ſeruo de Domino vindicaret. Quod eſſi in*  
*ipſa iam fame factum eſt, oſtendit tamen, haud multò meliore*  
*eum animo antè extiſſe, ſimilemque fuiſſe multis impijs homi-*  
*nibus; qui cum telis ſuis calum non poſſunt attingere, neque*  
*Numen ipſum vulnerare; in ſeruos Numini ſaciunt. Læditur*  
*autem & in ſeruis ſuis DEVS; quos qui tangit, tangit pupillam*  
*oculi illius. Iudæi autem, qui Hieroſolymis tanta fame ſunt pu-*  
*niti, non ſeruos dumtaxat DEI, ſed ipſum DEVM innumeris con-*  
*tumelijs, injurijs, morte denique ignominioſiſſima affecerunt,*  
*eiſque animam agenti, effuſoſque ſanguine, mirum in modum*  
*ſitienti, fel & acetum propinauerunt; more eorum, qui ipſi quo-*  
*tidie Maſſico vino ebrii, ſanguinem exugunt ſubditorum, eiſque*  
*vitam efficiunt ita amarā acerbamque, vt meritò illis nihil niſi*  
*fel & acetum præbere videantur. Et tales Deus paſcat, neque*  
*fame ac ſterilitate terræ puniat? talibus cibum & potum ſuppe-*  
*ditet? An non potiùs aqua & igni, immò terra & communi*  
*aura interdicat?*

Enimuerò hoc ſe facturum iam dudum eſt comminatus: V.

*Sit calum, quod ſupra te eſt, aneum; & terra, quam calcas ferrea: ait: Deuteri, 28. 27.*

*Significatur igitur clauſum calum arem eſſe, uſum ſui terris negare,*  
*ait S. Ambroſius. Terra queq; ferrea eſt, cum prouentu abnuit, &*  
*jaſta ſibi ſemina tamquam hoſtili durtia genitali excludit aluo, qua*  
*gremio ſolet blanda matris fouere. Quando enim ferrum fructificat?*  
*Quando as imbres relaxat? Hiſ igitur miſerandam famem minatur*  
*impijs: vt qui pietatem filiorum communi Domino & Patri exhibere*  
*neſciunt, careant nutrimento paterna indulgentia: ſit illi calum areu,*  
*concreto aère & ſolidato in metalli rigorem: ſit illi terra ferrea partus*  
*ſuos neſciens; & quod plerumq; inopia habet, diſcordias ſerens. Rapto*  
*enim utuntur, qui uictu indigent, vt alienis diſſendys famem ſuam*

*abluent.*

62 Cap. VII. Seueram quidem, sed iustissimam esse Famis pœ nam.  
ableuent. Iam verò, si & offensa inhabitantium huiusmodi sit, ut di-  
uina commotione his inferantur prælia, verè terra est ferrea telorum,  
segetibus inhorrens, & suis nuda fructibus: fecunda ad pœnam, sterilia  
ad alimoniam. Vbi autem abundantia: Ecce ego pluo vobis panes, di-  
cit Dominus. A Domino itaque abundantia, in beneficium; &  
penuria in supplicium est.

VI.

Sabell. li. 10.  
cap. 7.

Non est autem paruum istud supplicij genus. Fames, ait  
Sabellicus, inter tetra & dira monstra, in vestibulo inferni, ut Vates  
summus ingeniose fabulatur, omnium, quæ inibi sunt, teterrima, & ad  
omne scelus suadendum efficacissima existit. Ex nullo malorum fonte  
fœdiora manarunt exempla. Filiorum cades & infanda epula hinc  
sunt, hinc præcipitationes, aliæq; festinata mortes. Et quod omnium  
atrocissimum est, reperti sunt, qui seipos laniarunt, quando obscænos  
morsus in alios vertere non potuerunt. Libet hoc itidem per exem-

Fulgos. lib. 7.  
cap. 6.

Herodot.  
lib. 3.

pla ostendere. Babyloniorum urbem Darius Persarum rex obfi-  
debat, à quo descuerant. Ut ergo commeatus, quos in vrbe habe-  
bant Babylonij, diutiùs extenderent, ex toto femineo sexu, cum  
singulas viris omnibus delegissent; reliquas, ne eis alendis illorù  
nutrimenta, per quos vrbs defendebatur, consumerent, manu  
crudelissima strangulauerunt. Faminas hæc fames deuorauit,  
militibus pepercit. Illa autem nec militibus, quæ fuit, cum Cam-  
byles Persarum rex contra Æthiopes Macrobios expeditionem  
pararet. Nam nondum quinta itineris parte confecta, per are-  
nas, tanta commeatus penuria exercitum inuasit, vt, quemadmo-  
dum supra meminimus, cum herbis carerent milites, fortiti ex  
se ipsis decimum quemque comederint. Itaque Cambyles veri-  
tus & ipse suorum dentes ac depastionem, retro redire coactus  
est. Longiùs progressa est alibi hæc rabies. Calagurium vrbs est  
Hispaniæ, cuius incolæ à Cn. Pompeio obsessi, vt fidem Sertorio  
præstarent, in tantam famem durauerunt, vt vxores suas ac libe-  
ros in vsum extremæ dapis conuerterent, cum nullum aliud ani-  
mal, in vrbe, superesset. Denique, vt finem faciam, Sagunthus  
vrbs Hispaniæ, olim amicissima Romanis, longa Pœnorum obsi-  
dione, eò famis redacta est, vt ciues extracto, in foro, igni, suas  
res omnes eò conijcerent, seque ac suos postremò liberos, ne in  
manus hostium venirent, eodem præcipitarent. Vidimus pro  
dolor,

dolor, propemodum similia, hoc Saeculo bello: audiuius gemitus & lamenta vicinorum pagorum & ciuitatum: sed, vt dixi, non necesse est, miseriam calamitatem geminare commemorando. Quotquot tunc interfuerunt, in recitatis historijs suam imaginem intuentur. Vtinam & sua delicta agnoscerent, quibus Dei super se iram prouocauerunt. Quam parum curabant caelestia? quam paruo in pretio erat religio? in negotijs fidei & Ecclesiae Deum offendere, quam homines maluerunt. Regem Sueciae, eiusque Duces, tamquam Messiam, optarunt, inuocarunt, traxerunt. Ne accusent Deum, si cum bello, paupertatem, famem, pestem immisit, adepti sunt, quod habere voluerunt.

Sed de fame ciuitates affligente satis est dictum: addam exemplum, in qua conspicitur, quanta sit poena, si tota aliqua natio fame castigetur. Memorat ex Procopio Caesar Baronijs: Anno Christi 539. qui quartus belli Gothici à Procopio ponitur inchoatus, dirissima fame vexatam fuisse Italiam, quam ita describit. *Cum iam se verteret annus, & mensis tempus adesses, in campis frumentum sua sponte maturescerat: non tamen, quàm prius, in copia fuit, sed longè minori, vt quod nec hominum manibus, nec bouum labore satum humoq; tectum fuisset, sed temerè in agri superficiem iactum: unde eius pars quadam, terra vi facta, emerferat. Ipsum id tamen, cum demeteret nemo, pra nimia sui maturitate in terram iterato excidens renascebatur. Quae res cum eundem in modum, in Emilia accidisset, eius regionis homines proprijs sedibus ac bonis relictis, in agrum Picenum profugerant, haudquam existimantes, eius Prouincia loca, quia maritima essent eadem omninò rei frumentaria inopia premi. Thuscios praterea haud secus, ac pari de causa fames attigerat. Ex his tamen, qui montes incolerent, frumenti in modum è glandibus commolitis confectum panem edebant. Vnde vulgatis, velut in pecua morbis, uti par erat, multi mortales capiebantur, & paucis superstibus interibant. Inter Picentes autem tradunt non minùs quinquaginta millia hominum, pra inedia interysse, & longè plures extra Ionicum sinum. Qua autem morbi specie, & quemadmodum hi morerentur, mox explicabo. Cum enim nihil is esset, quo vescerentur, extenuati nimirum omnes pallentesq; reddebantur caroq;, vt cibo diutius carens, in se ipsa retracta cohaeserat: fel item, cum nimium abundaret, atque*

VII.

Procop lib 2  
de bello Gothico  
Baron. tom. 7. Anno  
539.

64 Cap. VII. Seueram quidem, sed iustissimam esse Famis penam, ad eò corpora ipsa vi sua oppressa iam infecisset, handquaquam sinebat suo è pristino cursu in his uenas defluere. Mulo itaq; peruicente, nihil prorsus succi corporibus relinquebatur. Cistis præterea obdurata corio persimilis erat, præ se maximè ferens, quòd impacta ossibus inhaesisset, liuore iam in nigredinem commutato. Vnde & homines excusis facibus nihil absimiles videbantur, eorumq; facies stupidior erat, torumq; & furentis aspèctus. Mortem itaq; passim obibant, cibi partim inopia, nimia partim saturitate. Nam postquam in his fuerat calor omnis extinctus, quem natura introrsum excusserat: si quis fortè eos ad satietatem, & non paulatim cibasset ( ut recens nati lactari solent ) cum ingestos minis digerere cibos, celerius longè moriebantur. Fuere, qui fame cogente alterni se estarent. Feminas enim duas fuisse tunc tradunt, quæ viros septemdecim interfectos absumpserint. Ha namq; ut ferunt, cum sole & resides domi, ceteris mortuis superfuissent, diuertentibus ad se peregrinis, noctuq; dormitantibus interfectis diuescebantur. Septem itaq; & decem, diuersis temporum spatijs, in cibum absumptis, octauus ac decimus, qui ad has fortè diuernerat, somno tunc subito experrectus, cum in se eadem, quæ in ceteros fecerant, molirentur, cognita primùm facti ab his ratione, utraq; obruncat. Hæc talis Procopius.

VIII.

Quæ graua esse, qui non videt, talpa est. Sed & inde grauitatem licet æstimare flagitiorum, quæ in hac quoque vita, ubi misericordiæ diuinæ est locus, tam atrociter puniuntur. Vnde conjecturam licet facere de tormentis, quæ, in altera vita, damnatis sunt præparata. Nam & stridor dentium ibi erit; & intoleranda æternaque sitis, in diuite illo epulone expressa est. Neque in supra memoratis historijs diuinam aliquis accuset seueritatem; aut afflictos dicat esse innocentes: *iuste enim patiebantur secundum suas nequitias*, sicut & de alijs, in Scriptura, dicitur. Constat enim de sceleribus, quæ famem illam meruerunt. Tantus est ciborum, tantus vini abusus, ut non iam ad conseruandas vires corporis, non ad hilaritatem animi; sed ad satietatem & crapulam, ad libidinem corroborandam, ad ebrietatem, & insaniam, ingerantur: & non subducat Deus alimenta? non exsiccet vites? non exurat vineas? Hæresibus, blasphemijs, sacrilegijs violatur Numen, & hæc Magistratus, Duces, Principes impunè fieri permittunt:

Matth. 8. 12.  
Luc. 16. 24.

Sapi. 19. 12.



mittunt: itane etiam permittere debet diuina iustitia? jaciunt mortales in cœlum conuicia; & immortales de cœlo fluere sinant mulla & mella? Nempe vt tantò maior ansa detur DEVM blasphemandi, quasi non sit in cœlo DEVS, qui talia audiat, aut videat, & punire possit. Puniuntur ergo iniusti, vt DEVM esse discant, & iusti fiant. *Nosse enim te*, ait quidam ad DEVM, *consummata iustitia est: & scire iustitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Quam iustitiam & virtutem vt sciret Ioannes Daileus Londini, in Anglia, in domo Carthusiensi professus, mirabiliter à DEO punitus est, vt P. Vitus Dulcken, & Guil. Sitart, ambo Carthusiani litteris vulgarunt. Allati fuerant huic Ioanni Daileo, quadam die, cibi nec sapientes, nec, vt arbitrabatur, sufficientes. Itaque in impatientiam datus cœpit murmurare; palamque cum stomacho, dicere, *bufones se, quàm illius generis pisces comedere maluisse.* Annuit voto DEVS, & non fraudauit eum desiderio suo. Tantam enim extemplo bufonum copiam illi in cellam adduxit, vt cumulati totum loci illius pauimentum replerent. Nec otiosi hærebant; sed quocumque pedem mouebat Ioannes, post eum reptantes aut salientes, tamquam ministri, sequebantur. Si mensæ accumberet, commanducabant; in patinas, in discum, in sinum inuolantes ingrati parasiti. Si se ad quietem recipiebat, aderant vndique bufones, etiam in lecto sociati. Si quem in focum proijceret, illæsus statim exiliebat. Vnum forcipe prehensum igne torrere institit; sed tantus ex eo foetor exhalauit, vt Auernali hac mephiti per totum claustrum intolerabiliter propagata, à cœpto desistere compelleretur. Alios fuste elisit, sed mox alij alijque superueniebant, & numerum augebant. Toto mense, Pharaonica hæc plaga, in cella; in horto autem etiam trium mensum spacio perdurauit. Desijt tandem, vbi Daileus stulti desiderij sui impietatem satis deplorauit; quam etiam omnibus postea, magno animi dolore solebat commemorare. Fame igitur probatus cecidit, vt punitus *sciret iustitiam & virtutem Dei*, altioremque correctus ageret radices immortalitatis.

Denique toti sæpe exercitus, fame perierunt, quod hoc quoque sæculo videmus accidisse. Neque id quidem fit, sine æquitate diuina. Aut enim vult militum ducumque, qui sæpe satis im-

P. Vit. Dulcken, & Guil. Sitart. Carthusiani in epist. nuncupatoria ad Theodoricum Lothar Buxen. Carthusiæ Priorem ad Historiam Martyrum Angliæ. Menochij 1573. 8.

pij existunt, insolentiam, rapinas, libidines, adulteria, crudelitates, blasphemias plectere; aut vult Prouinciam, Mundumque aded ipsum tanto malo liberare. Extinguit igitur exercitum fame. Et id non mereantur, qui, vt parentes cogent, quidquid esculenti aut poculenti in penu, quidquid auri aut argenti in loculo habebant, promere, infantes eorum flebilissimè eiulantes flammis tantisper vstulauerunt? An non Deus de cælo audiat hos clamores! an non puniat tales, non dicam iam milites, sed carnifices, sed Phalarides, sed Busirides, sed Mezentics, sed tyrannos, sed hominum Dei que immanissimos contemptores?

## C A P V T VIII.

*Inter cetera vitia, intemperantiam in cibo & potu conuenientissimè puniri fame.*

I.



Mne quidem crimen iram Dei prouocat, pœnamque diuinam meretur; æquissimum tamen est, vt in quo quis peccat, in eo etiam puniatur, & vitia ijs rebus plectantur, quas constat eis maximè aduersari, juxta illud:

Apoc. 18, 7.

*Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit: tantum date illi tormentum & luctum.* Superbi igitur ac gloriosi ignominia; deliciofi & luxuriosi corporis cruciatu; auari egestate merentur affligi. Quid superest, nisi vt & gulosi, ac ebriofi fame ac siti torqueantur? Quæ duo flagitia, ebrietas scilicet atque ciborum ingurgitatio, ita iam passim à populo, viris primarijs, immò ipso magistratu, ipsisque aded clericis liberè, ac sine infamiae metu committuntur, vt pro vrbanitate, non fœditate habeantur. Qua mea sententia non vereor, ne poratores offendam: peccatum suum ipsi, vt Sodomæi ciues prædicant, jactant Bacchi certamina, grassantur, lymphati discurrunt, vicisse se putant, cum amicos poculis grandibus deposuerint sepeliuerintque vino; cum corpus marcere, mœtem lethali crimine dejecerint. Vt verè vaticinatus sit Seneca, quando dixit: *Habebitur aliquando ebrietati honor, & plurimum meri cepisse, virtus erit.* Et paulò priùs: *conuiuiorum vigeat furor, & fœdissimum patrociniarum exitium culina.* Quantum autem nunc non vigeat furor iste? E plebe multi, quidquid per totam hebdo-

Senec. lib. 1.  
de Beneficijs  
cap 10.